

quae in templo colluceret, atq; hoc pacto Dei gloriam conspecturos esse. Ad haec de templi exitu ac fine vaticinatus est; nempe ab occidentali populo Hierosolymitanum templum excisum iri. Tunc, inquit, interioris aditi velum duas in partes scindetur, & ambo columnarum capitella detrabentur, nec ubi sint, quis quam cognoscet. Ea vero per angelos desertum in locum deportabuntur; ubi tabernaculum testimonii non ita pridem extructum est. Atq; in iisdem postremo cognoscetur Dominus: quandoquidem eos, quos serpens insequetur, non secus atq; olim collustrabunt: & eos ipsos Dominus ex umbra mortis eripiet, ut ad sanctum tabernaculum receptum habeant. Multa idem propheta de adventu Domini praedixit. Sed animadvertendum est, libellum de vitis prophetarum Epiphaniai nomine esse indignum, multisq; fabulis refertum. Clar. Dupinius in B. b. lioth. Autorum Eccles. T. II. de Epiphaniai p. m. 297. sequens de libro illo tulit iudicium: *Liber de vita & obitu prophetarum est farrago infinitarum fabularum, & narrationum, quae Epiphaniai attribui nequeunt sine visionarii macula.* Quod iudicium vaticinia hic descripta approbant, primum enim domesticis suis de habitu in longinquam regionem revelatum, ortum trahit ex fabula Draconis Babelici. Sic quoq; fictum est vaticinium de portento lucis ingentis in templo collucentis, quam Judaei reduces visuri sint; Legimus quidem Hab. II. v. 14. *Nam replebitur terra (Judaica incolis suis) ut cognoscant gloriam Domini, sicut aquae operiunt mare.* Quae verba & reditum judaeorum & manifestationem gloriae Dei promittunt, sed nihil ibi de luce in templo lucente invenitur. Sed tale portentum Joseph. de B. J. L. VII. cap. XII. ante templi excidium factum retulit, sed sine Habakuki, qui illud praedixerit, mentione. Quae de velo templi in duas partes

B 3

scin-